dicimus serie ueritatis: audiuimus esse filium. Discamus myste
rium. Vere (al' bene) desponsata sed uirgo, quia est ecclesiae typus quae est
immaculata sed nupta. Concepit nos uirgo de spiritu, pa
rit nos uirgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta MARIA
alii nupta, ab alio repleta, quia et singulae ecclesiae spiritu quidem re
plentur et gratia, iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.
Et ingressus ad eam angelus dixit: Aue gratia plena, dominus tecum,
benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut uidit eum, mota est
in introitu eius. Disce uirginem moribus, disce uirginem ue
recundia, disce uirginem oraculo, disce mysterio. Tre
pidare uirginum est et ad omnes uiri ingressus pauere, omnes
uiri affatus uereri. Discant mulieres propositum pudoris
imitari. Sola in penetralibus quam nemo uirorum uideret
solus angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste,
ne quo degeneri deprauaretur affatu, ab angelo salutatur. Di
sce uirgo uerborum uitare lasciuiam. MARIA etiam salutatio
nem angeli uerebatur. Erat enim inquit cogitans qualis esset haec
salutatio; et ideo cum uerecundia quia pauebat, cum pruden
tia quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quae nusquam
lecta est, nusquam ante comperta. Soli MARIAE haec saluta
tio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam
quam nulla alia meruerat consecuta est, ut gratiae repleretur
auctore. Erubescebat ergo MARIA, erubescebat et elisa
beth; et ideo cognoscamus quid inter sit inter mulieris et uirgi
nis uerecundiam. Illa de causa erubescebat, haec pro ue
recundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in uir
gine pudoris augetur gratia. Et ait angelus ad eam: Ne time
as MARIA, inuenisti enim gratiam apud deum. Et ecce con
cipies in utero et paries filium et uocabis nomen eius Iesum.
Hic erit magnus. Dictum est quidem et de Iohanne ab angelo quia

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 30 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/30)